

CONCIO III.

aut recipere. Qui sane in jugo diaboli trahendo non infimi sunt: sibi ipsis enim imponunt onus grave perturbationis et damnorum emergentium. Sive enim vulnerent sive vulnererentur, sive occidunt, sive occidantur, annon sibi nocebunt? Quam stulti forent illi milites, qui volentes duello certare, id a suo duce nequaquam obtinerent nisi hac lege, ut qui alterum occideret, et ipse occidetur? Atqui hoc norunt iracundi, sibi videlicet sive ländant sive ländantur parem immixtum cladem. Quemadmodum ergo Judæi male perierunt et acerbissime puniti sunt in excidio Jerosolymitano ob Christi necem: sic etiam iracundi supplicum sibi afferunt. Eleazarus ille, cum subter elephantem ingressus esset et gladium in ventrem ejus adegisset, bestiam quidem prostravit, sed ipse etiam victor a corrente bestia oppressus est, I. Macch. c. VI. simili pugna decertant elephas et draco pari utriusque exitio. Draco in elephantem insilit et sanguinem ejus ebibit, demum elephas exsanguis concidit et draconem inebriatum opprimit ac commoritur, ut refert Plin. lib. VIII. c. XII. Ita evenit etiam Judæis: occiderunt illi Christum et sanguinem ejus suixerunt, cum clamarunt: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, Matth. XXVII. itaque venit super eos, quando videlicet post triginta octo annos in obsidione miserrime obtutti et exterminati sunt. Idipsum evenit iracundi et gladiatibus: vel enim occidunt, et tunc ipsi quoque ad necem queruntur, vel saudant tantum et pœnæ obnoxii sunt, habentque insuper hostem perpetuum, conscientiam item postmodum inquietam et seram pœnititudinem, vindictam Dei sibi imminentem, etc.

VI. Clamat per guloso: *Venite sumamus vinum et impleamur ebrietate, et erit sicut hodie, sic et cras et multo amplius*. Sic clamat apud Isaiam, cap. LVI. Ad quam vocem plurimi sane his diebus maxime diaboli jugo se subjiciunt. Sed quam grave est hoc jugum, nonne sibi ipsis pœnas affrent ebriosi? Et nonne magna pœna foret, si quis quot... nebriari deberet? Quid quod aliqui ita assuecant ebrietati et intemperantiae, ut semper sitiant, quia scilicet hepar inflammatum habent? Annon isti mancipia ventris sunt.

Multum vero decipiuntur in eo, dum sibi promittunt diutinam vitam, dicentes: *Erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius*. Ipsi enim sibi præcident vitam, et merentur ut præcidat eis Deus. Unde dicit Job, c. XXI. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt*. Alius enim in ebrietate per scalam cadit et extinguitur: *In punto ad infernum descendit*: alius confunditur: *In punto, etc.* alias mane in lecto mortuus repe-

ritur: *In punto, etc.* alius apoplexia tangitur: *In punto, etc.* Etsi tale quid vel uni tantum ex nobis eventurum sciremus, nonne omnes metuere deberemus?

VII. Clamat per otiosos: *Venite et mittamus sortes*. Sic dicebant naute periclitantes in mari, Jon. I. idem otiosi dicunt bacchanaliorum maxime tempore. Cum enim honestas alias recreations, multo magis vero laborem fastidian, ludos et aleas proferunt. Et si quidem ludus esset moderatus, utcumque tolerari posset. Sed nimis excedit limites, et fere ita luditur ut non tam recreatio, quam amaritudo in ludo percipiatur. Ut enim in charta lusoria quatuor sunt figuræ, ita et lusorum quatuor mala sunt. Primum est, perpetuus perdendi metus, quia et perpetuum periculum, designatur per folia, quæ in arbore semper tremunt. Sic enim dum pecunia est sub alea, semper trepidat lusor; ita ut quandoque lusores postquam omnes facultates suas et uxores perdidissent, vitam sibi eripiant. Secundum, insatiabilis ludi cupiditas, ita ut nec cibum capere, nec somnum queant, interdum designatur per cordis figuræ, quia scilicet lusus consuet or commentemque occupat, et eo interdum ab ripa, ut tota ejus familia pessum eat. Tertium, infamia et dedecus, siquidem male sonat, sive dicaris magnam summam lucratus esse, sive perdidisse, utrobique temeritatis convinceris et levitatis, ut multis accidit: et hoc per nolas, stultorum insignia designatur. Est enim ingens stultitia, quod quis pecuniam multo labore partam unius aleæ jactui credat, aut folio chartaceo. Et nonne magna stultitia eorum est, qui postquam sua perdidissent, solent ipsas chartas dentibus lacerare; quanto rectius sibi ipsis irascerentur, qui chartas non abjecerunt. Quartum, inopia, quæ plerumque comitatur aut sequitur lusores, designatur per glandes, quæ sunt pororum cibus; nimirum tunc cum prodigo filio eo rediguntur ut glandes tandem et pororum siliquas comedere cogantur: tametsi vero luceris, parum id tibi proderit, quia caret Dei benedictione tale lucrum.

Cæterum super hæc omnia, gravissimum superstrest jugum, obligatio videlicet reddendæ rationis coram Deo.

Ad extremum igitur Christus a diaboli jugo nos evocaturus, clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*: clamat mundus: *Ego deficio*: clamat caro: *Ego inficio*: clamat diabolus: *Ego interficio*: clamat Christus: *Ego reficio*. Quem malum audire: et certe nisi nunc audiamus dicentem et vocantem: *Venite ad me omnes*; et: *Tollite jugum meum super vos*: non audiemus ibi dicentem: *Venite benedicti Patris*

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

mei. Itaque: *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem ejus in confessione*.

CONCIO IV.

JUGUM QUADRAGESIMALE ACCEPTANDUM.

- I. Jejunium quadragesimæ. — II. Modestia et honesta major. — III. Pœnitentia. — IV. Majus studium audiendi verbum Dei. — V. Fuga peccatorum major. — VI. S. communio paschalis.

THEMA.

Tollite jugum meum super vos, et discite a me. Math. XI.

Faustus fuit hic dies apostoli Matthiæ Caroli V. imperatori laudatissimo, quoniam eo die natus est, eo Gallorum regem devicit captivumque fecit in memorabili pugna apud Ticinum Insubria urbem, eo denique Augustale diadema de manu pontificis Romani Bononiæ suscepit, Maiol. tom. I. canic. coll. IV. Unde gloriabatur optimus princeps, quod hoc die non solum vitam, sed et sortem imperii, felicitatis et vitoriarum accepisset. Nobis etiam, auditores, faustum illum diem non immerito reputamus quia nimirum plerumque in capite quadragesimæ solet nobis occurere, eamque nuntiare. Quid autem est quadragesima, nisi tempus in quo secundum animam renascimur per pœnitentiam? Quid nisi tempus et occasio plurimarum vitoriarum, quas de mundo, carne, dæmore possumus reportare? Quid nisi tempus gloriae in quo, si unquam alias, suave Christi jugum velut coronam imperiale (*quia servire Deo regnare est*) capitio nostro imponimus? Sed video, auditores, multos esse, qui diei hujus felicitatem dictam parum apprehendant, quia hoc jugum timent. Idcirco pondus hoc nonnullum allevabimus.

I. Jugum primum est jejunium quadragesimale. Et hoc quam leve! Quam suffultum? Præcipitur abstinentia a carnibus: quantulum id est? Numquid in solo carnis esu vivit homo? Quomodo enim ante diluvium per annos 1600. vixerunt homines et quidem usque ad 900. annos, qui tamen carne et vino abstinuerunt juxta communione pp. et dd. sententiam? Et quomodo extra jejunia multi nullo negotio carnibus abstinent, imo esum earum tandem fastidunt, et alios cibos præferunt? Quomodo villani, cum vix quater in anno carnes edant, interim tamen robusti sunt et longevi? Sed nimirum recte dixit Habacuc, c. I. *Homines esse velut pisces maris*. Nam uti pisces qui in nassa sunt egressum querunt, et qui extra

ingressum: ita nos in vetitum nitimur, et cum licet edere carnes, fastidimus; et cum non licet, desideramus. Unde hæc persuasio, nisi ab illo, qui vetitam arborem suasit Evæ, quasi ceteris meliore et salubriore, cum esset omnibus pestilentior? Quis non dicat levissimum fuisse præceptum, ut abstineret Adam ab unica illa arbore, ceteris omnibus concessis, similiter quis audeat dicere grave esse jugum aut præceptum, solis carnis abstinere ad tempus, ceteris omnibus cibis permisssis.

Deinde, præcipitur jejunium, id est, unica in die refectio. Et quid hoc difficile? Nonne sat superque suffulcit hoc jugum Ecclesia? Permittit collatiunculam vespertinam, non interdict potum, anticipavit nonnullum refectionem, non culpat paulo liberaliorem refectionem, excipit a jejunio dies dominicos, excipit juniores usque ad annum vigesimum primum completum, excipit senes viribus destitutos, excipit pauperes qui non habent, quod sufficiat vel refectioni, excipit eos qui duriore occupantur labore, excipit infirmos, feminas gravidas et lactantes, denique, si quis probabili motu ratione impotentem se existimat ad jejunia juxta rigorem ecclesiasticum, facile acceptat ejus excusationem, qua tamen in re confessarius aut vir prudens consulendum; quia universum cum gravi alicuius damno neminem intendit obligare. Quid blandissima mater nostra facere nobis amplius poterat? Considerate exemplum Christi et videte, utrum æquum sit Christo jejunare, nos ventri indulgere? *Discite a me*, inquit. Nescimusne quid evenerit populo Hebræo, quando Moyse in monte jejunante quadraginta diebus ipse dedit manducare et bibere, et surrexit ludere? Exod. XXXII. Et cur jejunavit Christus, nonne propter nos solummodo. Sanctissimus ipse erat, non indigebat hac medicina: sed propter nos eam sibi applicavit, ut nos adhiberemus. Si medicus videns ægrum abhorre a cauterio sibi necessario candens ferrum arriperet, et sana licet in carne sua unctionem prior faceret, solum ea causa, ut persuaderet agro unctionem illi necessariam: nonne qui ulcus habet, ferrum e manu medici rapere deberet et ulceri suo infigere? Vel saltem cauterium libenter accipere? Præente rege Ninive ad jejunium et pœnitentiam, facile subsecuta est tota civitas, tametsi id sua causa faceret rex: cur ergo non sequamur Christum jejunantem propter nos? Demum viderit unusquisque, ne si ad modicum tempus ejusmodi cupidine renuat privari, in æternum ea privetur? Quo modo legimus comminatum aliquando Deum Hebræis, si noluerunt dare terræ sabbatum anni septimi, fore ut ea ejectis et in captivitatem duc-

tis Hebræis perpetuo sabbatizet, Levit. XXIX. Tunc placebunt, inquit, terræ sabbata sua et requiescat in sabbatis sollicitudinis suæ, eo quod non requieverit in sabbatis vestris. Veniet tempus cum præ omniis cibis desipiet nobis caro in morbo nimirum, et quid, si tibi cum epulone aliquando æternum abstinendum sit, Ven. Beda scribit, l. V. hist. Angl. c. III. Drihelmeum Anglum, postquam mortuus vidisset inferni et purgatoriū penas intolerandas, postmodum vitæ restitutum, incredibili austoritate corpus suum vexasse, jejunii præsertim, et in fluminibus gelu concretis orasse. Dicentibus vero fratibus: *Mirum frater Drihelme, quod tantam frigoris asperitatem ullatione tolerare prævales*, respondebat ille: *Frigidiora ego vidi*. Et cum dicent: *Mirum quod tam austoram tenere continentiam velis*, respondebat ille: *Austeriora ego vidi*. Sic usque ad mortem afflitus se. Quare merito dixit S. Chrysost. in II. ad Thess. II. *Si terribile aliud videris, cogita gehennam et illud deridebis*.

II. Est modestia, quies et morum honestas major, abstinentia a nugis et vanitatibus sæculi. Tametsi vero haec modestia decet Christianos omni tempore (utpote, qui apostolo teste ad Rom. XIII. non amplius in tenebris ignorantiae et impietatis, sed in luce evangelii ambulant, adeoque: *Sicut in die honeste ambulare debet*) maxime tamen hoc tempore, quo Christi passionem recolimus, eidemque ad nos venturo in eucharistia obviamus. Genesis XXIV. legimus Rebeccam, cum a longe vidisset Isaac dominum et sponsum suum, descendisse mox de camelo et pallio se operuisse, ut sic debita cum honestate obviaret domino suo. Ita facere nos nunc decet, si prius ante et per bacchanalia absque honestatis pallio immodeste, superbe et petulanter incessimus, nunc in terram descendamus et Christo decenter obviamus. Nobis dictum existimemus id apostoli, ad Phil. III. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim prope est*. Neque hoc jugum grave esse cuicunque debet; quoniam Christi passi memoria honestatem et gravitatem istam exigit. Qui parentem luget, graviores mores induit, non adit nuptias aut choreas, non induit vestes multicolores, etc. Nos autem hoc tempore lugemus parentem nostrum opimum et maximum Christum: *Musica in luctu importuna narratio*, ait Eccles. c. XXII. Nunc autem totus orbis Christianus luget, ideo altaria lugubri amictu nunc cernuntur. Et quomodo os rideat aut eachinnetur, manus gesticulentur, pedes saltent, capite afflito et languente?

III. Pœnitentia, quæ non tam jugum est, quam jugi depositio, peccatorum videlicet, de quibus

queritur S. David: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Quis autem bajulus non gaudet cum eo appropinquat, ubi onus deponendum est? Et licet hoc onus non deponatur absque molestia ea tamen levis est. Quemadmodum virga Moysis abjecta in terram serpens apparuit terruitque Moysen; resumpta vero virga fuit et nihil terroris habuit, Exod. II. ita et pœnitentia a longe quadam visa et cogitata, serpens quidam terribilis putatur: sed arrepta, nonnisi virga est eaque admodum salutaris ad excutiendam conscientię nostræ vestem a pulvere et sordibus peccatorum. Unde apostolus ad Hebr. XII. *Omnis disciplina*, inquit, *in præsentis quidem videtur non esse gaudii sed maioris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiae*.

Quod si cui grave hoc jugum videtur, meminiret alterius longe gravioris, quod in gehenna expectat impœnitentes. Audiat S. Bern. in Psalm. XC. « Si jugum, inquit pœnitentia suave non creditis in seipso, vel hoc non ignoratis, quia suavissimum est, comparatione illius, de quo dicitur: Ite in ignem æternum. » Zachar. XII. ait Dominus: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum*. Virga decor, pœnitentia est, quia decorum et gloriam afferit: virga vero, quæ funiculus seu flagellum dicitur, gehennam denotat, quia ad internectionem cedit et ligat in perpetuum. Elige tibi nunc, quam vis.

« Sed forte est aliquis, qui dicat, inquit S. Aug. ser. LVII. de tempore: Ego in militia positus sum; uxorem habeo, et ideo pœnitentiam agere quomodo possum? Quasi nos, quando pœnitentiam suademus, hoc dicamus, ut unusquisque magis sibi capillos studeat auferre, et non peccata dimittere; et vestimenta potius evellat quam mores. Qui hac dissimulatione decipere se magis quam excusare conatur, attendat, quia regem David nec honor regni, nec dignitas vestimenti ad pœnitentiam agendum potuit impedire. » Hæc August.

IV. Majus studium audiendi verbum Dei, orandi, legendi, aliorumque piorum operum. Qua de re audiamus Augustinum, in capite jejuniū quadragesicconionantem, serm. LVII. de tempore: « Sicut tempore messium vel vindemiarum: unde caro nostra possit sustentari, colligitur, ita in diebus quadragesimæ, quasi in spirituali vindemiarum vel messium tempore, unde anima nostra in æternum possit vivere, congregate. Quia siue negligens quisque si opportuno tempore nihil collegerit, per totum anni spatium famet, quebitur: ita qui hoc tempore, spirituale triti-

cum et cœlesti mustum, jejunando, legendendo, orando in horreis anima sua providere et congregare neglexerit, in æternum durissimam sitim et crudelem inopiam sustinebit. » Hæc August. ex quo discimus quadragesimam tempus esse spiritualis messis; unde initio quadragesimæ canit Ecclesia in epistola: *Eccenunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Idcirco quadragesima cerebrios undique conciones habentur, quas qui contempserint ac neglexerint, viderint ne gravius sibi jugum accersant, et aliquando eo deveniant, quando non erit tempus metendi amplius: et quando nec ipsi a Deo audientur, qui verbum ejus audire noluerint. Refert Herodotus, l. I. Cyrum, cum Iones pacis conditiones, quas prius repudiabant, ab eo reposcerent, dixisse eis apolongum tibicinis, qui ad alliciendos pisces tibiae cecinerat, sed cum nihil proficeret, sagenam in mare misit multosque ea conclusos ad terram traxit, quos cum palpitantes videret: *Temperate, ait, jam e saltationibus, quime canente saltare nolueritis*. Hunc in modum Deus tempore quadragesimæ per suis predicatorum quasi tibia nobis canit, ut nos ad se pelleat: sed si illos audire nolumus, trahet aliquando et obruet nos sanguena mortis, et fortasse tunc nos audierit palpitantes et inducias petentes. Certe S. August. ser. LVII. de tempore ait: « Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est: pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur. » Quid mirum si jam non audiantur, qui prius audire noluerunt? Luc. VII. ait Dominus: *Cantuvimus vobis tibis, et non saltatis, lamentavimus et non plorasti*. Clamat undique nunc concessionares et frangunt sibi caput, ut in rete Christi pertrahant mundi hujus pisces. *Ecce nunc tempus acceptabile*, nunc tempus acceptandi pacis conditiones, quas per illos offert Deus. Sed si eas repudient homines, et saltare ad has tibias nolunt, forsitan aliquando saltare cum volent et agere pœnitentiam non poterunt.

V. Fuga peccatorum impensior. « Quid enim prodest, ait S. Aug. ser. I. dom. I. quadrag. vacuare corpus ab escis, et animam replere peccatis? Quid enim prodest, pallidum esse jejunii, si odio et invidia livescas? Quid enim prodest abstinere a carnis ad edendum creatis, et malignis obrectationibus fratrum membrorum lacerare? Quid prodest, si abstineamus ab his, quæ aliquando licent et faciamus illa, quæ nunquam licent? » Sic August. Unde Isai. c. LVIII. queritur Dominus, quod in jejunis nostris inveniatur voluntas nostra, additque: *Nonne est hoc magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impieatis, dissolve fasciculos deprimentes, etc. id est,*

usuras et iniquos contractus. Spiritualiter, peccata quælibet, veluti vineula ligant hominem, et quasi fasciculi depriment: et quid magnum hic a nobis petitur? Non utique ut oculos nobis eruamus, sed ut ab illicitis aspectibus eos coercentemus: non ut aures et lingua abscondamus, sed ne eas detractionibus occupemus, nugis, locis, blasphemis, etc. non ut manus resecemus, sed ne ad furta et rapinas extendamus: non ut ventrem exhaustiamus, sed ne obruamus: non ut nos præcipitemus, sed ne in peccata gravia saltem præcipites ruamus?

VI. S. communio ad finem quadragesimæ, quæ non video quid oneris habeat, nisi vocemus onus præparationem illam, quæ adhibetur ab ituris ad nuptias vel convivia magnatum. Quis enim hoc jugum vocaret, si ad mensam principis quotannis vocaretur, ita tamquam ut decenter vestitus accederet? Qui non magno studio et alacritate ad illum diem se adornaret? Quis non gauderet eo adventante? Atque ut rem clarius intelligas, ponamus invitatum te esse a rege ad mensam. Tunc primo te excuses ex humilitate, quod indignum te dices regio convivio: deinde, si rursum per nuntium seriissime vocareris, tum obedientem te fore et paritum jus sui regis, dices: tertio, hora adventante, vestem tuam mundares scopis, postmodum cum desiderio regiorum ciborum accederes: deinde, videns regem tibi obviam ire, et descendere per omnes palati scalas, cum summa demissione ei occurres, manum osculareris, et regis humilitatem atque humanitatem extolleris. Ad mensam collocatus, maxima cum reverentia, timore et modestia ibi certe sederes: inter refectionem mirareris epularum splendorum et præstantiam: refectus et mensa surgens, expectares regium mandatum, offeres illi omnia tua servitia, et cum maximæ gratiarum actione recederes, semperque ei devotus maneres, etc. Sane hoc tu non jugum sed gratiam existimares. Nihil aliud a te Christus petit in communione. Ergo primo, vocatus ad communionem dic cum Miphiboseth vocato ad mensam Davidis: *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexit super canem mortuum similem mei?* II. Reg. XIX. secundo, vocatus cum Deipara: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: tertio, purga vestem manuam tuæ et die cum Davide: *Exercitabar et scopebam spiritum meum*: quarto, adveniente hora rursum cum Davide: *Lætatus sum in his quæ dieta sunt mihi in domum Domini ibimus*: et cum S. Maria de Oignies: *Ibimus in Sancta sanctorum dulcissima clementia*: et quid sunt sanctorum? Quinto, cum vides obviantem tibi Christum et per tot cœlorum scalas ad te descendantem, dic cum

Jeanne Baptista : *Tu venis ad me?* Ego ad te habeo venire. In ipsa sumptione, verecundus et venerabundus esto. Postea lauda Deum cum Daniele : *Recordatus es mei Deus et non derelequisti diligentes te,* Dan. XIV. et cum S. Paulo eremita ad Antonium dicente : *Eia frater, Dominus nobis prandium misit, vere pius, vere misericors :* denique, offer illa servitia tua cum Davide : *O Domine quia ego servus tuus, etc.*

Prædicta quadragesimæ juga qui adhuc gravia existimat, cogitet inter alia mercedis immensitatem, ferentibus decretam. Quid non tolerat agricultura spe messis semel in anno colligendæ? Ergo si nunc per quadragesimam aremus, occemus, seminemus, erit aliquando tempus cum etiam metemus. Experiemur imprimis hujus jugi suavitatem in articulo mortis. Tunc audiemus illam Christi vocem : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

CONCIO V.

COMMENDATUR MANSUETUDO ET HUMILITAS.

I. A natura. — II. A sui pulchritudine — III. A sui necessitate. — IV. A suis fructibus. — V. Ab exemplo Christi.

THEMA.

Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.
Matth. XI.

Magna esse debet cognatio inter has virtutes mansuetudinem et humilitatem; siquidem in sacris litteris saepius copulantur, imprimis a Christo Domino in hodierno evangelio : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde:* deinde, a Sancto Paulo ad Ephes. IV. *Digne ambuletis, inquit, vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate et mansuetudine:* denique, apud S. Petr. ep. 1. c. V. pro eodem sumi videntur. Ubi enim nos legimus : *Omnes invicem humilitatem insinuate,* Syrus verit : *Circumamicti estote mansuetudine animi, unus erga alium.* Nimurum sicut pater et filius, mater et filia, unum quodammodo sunt et pro eodem sumi possunt : ita mansuetudo et humilitas, quia mansuetudo filia est humilitatis. Quisquis enim humilis est, mansuete cum omnibus agit et loquitur : sicut e contra, qui asper et iraendus est, superbum se esse prodit. Sed et inter utramque virtutem certamen esse videtur de præcellentia. Etenim Christus in sermonis contextu præponit mansuetudinem humilitati : apostolus e contra humilitatem mansuetudini. Ex quo colligere licet tantam esse utriusque præstan-

tiam, ut neutra alteri cedat. Utramque ergo inspiciamus et discamus.

I. Commendatur homini a natura humilitas quidem, quia homo et factus et dictus est ab homo : natus præterea ad innumerias miserias, omnibus vivit expositus, plus quam ulla animantia; mansuetudo vero, quia fere solus inter animalia sine armis nascitur : alia enim animalia cornibus, alia unguibus, alia dentibus, alia calcibus, alia rostris, alia veneno, alia pedum vel pennarum perniciitate instructa sunt. Homo nullo horum armatus est. Voluit ergo Deus ut his omnibus abstineret, nisi urgente necessitate aliunde paratis armis cogeretur se munire. Proinde homines mansuetudine destituti, non tam homines quam feræ sunt.

II. A sui pulchritudine, humilitas quidem ut omnibus grata, ita superbia exosa est. Quam Deo placeat humilitas, ex eo recte colligunt aliqui, quod Cant. VII. sponsa, postquam cap. V. laudasset sponsum et incepisset ab eo, quod in ipso summum ac præcipuum erat, caput videlicet divinitatis ejus, ipsa vicissim ab eo laudari coepit de pedibus : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Quare sicut sponsa nihil ita placuit in sposo caput divinitatis : ita sposo præ aliis omnibus in sposa placuere pedes humilitatis. Unde aiebat S. Ludovicus episcopus Tolosanus : *Nihil tam gratum Deo, quam si vita merito magna humilitate simus infimi ; cum tanto quis Deo sit pretiosior, quanto propter eum sibi est vilior.*

Cum humilibus ludit Deus sicut lusit Joseph cum Benjamin, Genes. XLIV. quem initio quasi furem premere ac vincere se velle simulavit; postea vero totum hoc joco factum ostendit, eumque amplexans ceteris fratribus prætulit: ita Deus humiles contemni, affligi, vexari sinet; sed si hoc patienter et humiliter ferant, blandietur eis, ac tanto magis exalabit eos, quanto magis fuerint depressi. Nec minor est laus et pulchritudo mansuetudinis. De ea enim Ecclesiasticus, cap. III. scribit : *Fili in mansuetudine opera tua perfice, et super gloriam hominum diligenter.* Hinc ea virtus in Moyse adeo commendatur, Num. XI. at pro ipso Deus se opposuerit ejus inimicis. S. Chrys. hom. XXXIII. ait : *Tantum est mansuetudinis robur, ut sola haec virtus sufficiat se colentem diligenter ineffabilibus laudibus afferre, imo omni hominum genere præferre.* Certe Saul ex eo solo prædictis ac previdit regem ore Davidem, quod vidisset in eo regios spiritus, id est, clementes, cum sibi ab eo parsam esset, I. Reg. XXIV. Unde ea potissimum virtus prædicatur in Davide, Psalm. CXXXI. *Memento Domine David et omnis mansuetudinis ejus.* Mansuetudo ergo virtus est. Nec im-

IN FESTO S. MATTHIAE APOSTOLI.

merito, qui enim semetipsum regere et hostem ferocissimum, iracundiam, edomare potest, dignus est imperio. Cui non videatur fortissimus, qui feram edomare potest omnium truculentissimam? Talis non est ursus, non leo, aper, tigris aut lupus, sed iracundia, quandoquidem huic cessere Alexander Magnus, Hercules et plerique alii illarum domitores.

III. A sui necessitate. Humilitatis necessitas inde patet, quod ea virtus sit fundamentum totius doctrinæ evangelicæ, de quo Augustin. hom. XX. de verbis Domini ait : « Magnus esse vis? A minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celstitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis, etc. » Cui congruit illa Chrysost. sententia, orat. de hum. animi, tom. V. « Si decies millena sursum extruas, ut eleemosynam, ut prestationem, ut jejunium, ut omnem virtutem: nisi hanc prius fundamenti vice jeceris, omnia abs te frustra superstruantur: nihil esse enim in nostris recte factis, quod sine ea stare possit, etc. » Purpura piscis ascendit ad regium ornamentum; ea tamen potius queri in imo pelago debet; ubi solum invenitur, teste Pierio XVII. hierogl.

Magna enim necessitas est mansuetudinis. Ipsa enim velut antemurale in castro animæ, lapides, et ictus verborum asperorum, contumeliarum, detractionum, injuriarum, leniter excipiens et frustans, hominemque a læsione servans. Vasa vitrea nisi in feno vel re alia molli involvantur, facillime franguntur, cum alio deportantur. Similiter et animus levi injury tactus vel commotus, cito per iram frangitur, nisi mansuetudine minuatur.

IV. A suis fructibus quam plurimis. Humilitas primo, gratiam Dei sibi conciliat et de cœlo cœlestia bona attrahit. Sicut enim pluvia et flumina in valles defluunt: sic gratia Dei in humilem animam depulit et descendit. Hinc Isaías, cap. XL. cum jussisset parari viam Domino, mox clamare jussus est : *Omnis caro fœnum :* docens humilitatem e' sui contemptum esse complanationem viæ Domini ad nos tendentis. Dum enim, (ait ibi Sanchez,) humilis in se omnia videt aut videre se putat vacua atque profunda, id efficit, ut Deus, qui ut in naturalium, sic etiam in spiritualium rerum universo nihil patitur esse vacuum, id compleat, quod vacuum in se deprehendit submissa cogitatio.

Secundo, evadit laqueos diaboli; patet id ex historia S. Antonii, qui cum vidisset aerem et mundum plenum laqueis, quibus capiebantur animæ in altum evolantes, ideoque ingemisceret, dicens : *Domine quis evadet hosce laqueos?* audivit:

Humilitas. Hæc enim sub laqueis dimittendo se elabitur: dum se terram, pulverem et nihil reputat. Mirari aliquis posset, quomodo parvi maris pisces a grandibus illis cetis non omnes devorentur, cum in mari nequaquam ea latibula haberí possint, quæ habent animalcula terrestria, ne a feris potentioribus exterminentur. Porro pisibus illis succurrat natura, ut scribit auctor incognitus in illud Ps. CIII. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* « Cetus, inquit, pisces est magnus corpore, multo egens cibo, unde insequitur alios pisces, ut eos devoret: qui videntes eum, fugiunt naturali instinctu versus littus maris, ubi cetus ipsos vorare non potest propter paucitatem aquæ: imo ipsos insequens impingit in terram et non valens ibi natare, occiditur a piscatoribus, et sic ab aliis pisibus ei illuditur. » Hunc in modum dæmonem nos non modo evadere, verum et ridere possimus, si per humilitatem configiamus ad terram et littus, id est, si cogitemus finem nostrum, quod terra et in terram ituri, adeoque nihil simus.

Tertio, servat et custodit virtutes alias, sicut cortex arborem. Superbia velut locusta corticem illum depascit et arborem morti exponit. Unde de locustarum grege scribit Joel, c. I. *Ficum meam decorticavil.* Spiritualiter S. Greg. 1. VIII. mor. c. L. ait : « Ficum Dei gens ista (dæmonum) decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen, quo vestitur, ei humilitatis tollit eamque nudans expoliat, etc. » Denique, ut cætera præteream : « Tota christianæ sapientiae doctrina, inquit S. Leo, serm. VII. de epiph. non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit. »

Mansuetudo primo, lenit iram Dei et facile impetrat quod vult. Hinc enim dicitur Soph. I. *Quærite Dominum omnes mansueti terræ.* Qualis fuit Moyses, qui, si quis unquam potuit iram Dei placare, propter suam mansuetudinem. Ad hæc : « Hebræorum tradit historia, inquit S. Dionysius, ep. VIII. ad Demoph. Mosen eximie mansuetudinis merito divina amicitia et familiaritate dignatum : ac si quando ipsum divino aspectu excidisse commemorat; non id ei priusquam a mansuetudine defecerit, contigisse describit. Erat enim mansuetus valde, etc. » Et infra : « Noverat enim oportere eum qui Deo bono familiariter jungitur, quam maxime conari et pro viribus simum illum fieri. »

Secundo, lenit etiam iram proximi. Est enim instar valli urbem munitis, quod ictus et globos tormentorum molliter excipit et frustratur